

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1083

1081

1087

1077

510

abjiciebant nobis utres, quos aqua repleveramus, quos nos e contrario reposuimus et ipsi iterum rejiciebant et absque percussionibus pessime nos invicem tractavimus iracundissimis gestibus. Ad ultimum venerunt aliqui Arabes, qui nos ita concordaverunt, ut novam mercedem pro istis utribus ferendis camelariis daremus. Et ita fecimus et, si ab initio hoc facere voluissemus, nullum litigium fuisse exortum. Tandem autem oneratis camelis a monasterio recessimus. Cucurrit autem unus Arabs post nos portans unum lectulum et quandam sportam, quam nostri camelarii de industria reliquerant, et ita ille peregrinus, cuius erat lectulus, si habere voluit, eum oportebat emere ab Arabe et, postquam lectulum accepit, camelarius noluit eum super camelum ponere nisi datis novis denariis. Et ita bene vexati a monasterio elongati sumus eentes per vallem, per quem intravimus, usque in vallem grandem, ubi filii Israel vitulum adoraverunt et quatuor horas lento gradu processimus. In vespera autem tentoria fiximus in loco, quem nominabant Arabes Wachya, et difficulter sarmenta pro igne ad coquendum cibos invenire poteramus. Illi autem Arabes cum camelis fructus portantibus locaverunt sua tabernacula in medio nostri et ita noctem illam deduximus.

1092

1072

1032

0982

0582

0082

Processus.

Die XXVIII., quae erat dominica XVIII. post Trinitatis, tribus horis ante lucem surreximus et oneratis camelis a Wachya loco recessimus per arctum illum introitum, de quo supra dixi fol. 32., et altiora montana Synai postergavimus et in Macheram, ubi Moyses oves Jethro pascebat, revenimus. In eadem latitudine dimisimus viam, (63a) per quam intravimus in ingressu nostro, ad dextram et ad latus sinistrum in torrentem invium descendimus, qui tamen delectabilis erat, quia plenus myricis et virgultis stabat, inter quae asini et cameli transeuntes de ramusculis folia et viorem decerpabant et manducabant, nos viorem a foliis suximus, quia ut zuckarum et mel dulcis erat, de quo manna illud saporosum fit. Circa meridiem de illo torrente ascendimus in vallem, ubi cum Arabibus conflictum habuimus in die beati Matthaei, die octava ab illo. Transeuntibus

Ende

Anfang

